



Hymnus saeculī XVIII

## ADESTE FIDĒLĒS

ab Iosēphō Antōniō Rojas Carrera per sē illustrātus<sup>1</sup>

[jarcius@gmail.com](mailto:jarcius@gmail.com)

- I. Adeste, fidēlēs, laetī, triumphantēs.  
Venīte, venīte in Bēthlehem.  
Nātum vidēte, rēgem angelōrum.  
  
Venīte, adōrēmus, venīte, adōrēmus,  
Venīte, adōrēmus Dominum.
- II. En, grege relictō, humilēs ad cūnās,  
vocātī pāstōrēs appoperant.  
Et nōs ovantī gradū festīnēmus.  
  
Venīte, adōrēmus, venīte, adōrēmus,  
Venīte, adōrēmus Dominum.
- III. Aeternī Parentis splendōrem aeternum,  
Vēlātum sub carne vidēbimus  
Deum īfantem, pannīs involūtum.  
  
Venīte, adōrēmus, venīte, adōrēmus,  
Venīte, adōrēmus Dominum.
- IV. Prō nōbīs egēnum et foenō cubantem,  
Piīs foveāmus amplexibus:  
Sīc nōs amantem quis nōn redamāret?  
  
Venīte, adōrēmus, venīte, adōrēmus,  
Venīte, adōrēmus Dominum.

ad-este (praes. imp.) < ad-sum<sup>1</sup>  
fidēlis, -e<sup>2</sup>  
triumphāns, -ntis<sup>3</sup>  
venīte (praes. imp.)<sup>4</sup>  
Bēthlehem<sup>5</sup> (indēcl.)  
nātus, -a,-um (adi.)<sup>6</sup>  
rēx, rēgis m.<sup>7</sup>  
angelus, -ī m.<sup>8</sup>  
adōrēmus (praes. subi.)<sup>9</sup>

en = ecce : vidē! hīc est!  
grex, gregis m.<sup>10</sup>  
humilis, -e <-> altus, superbus  
cūnae, -ārum (pl. tantum)<sup>11</sup>  
vocātus, -a, -um (part.)<sup>12</sup>  
appoperant (praes. ind.)<sup>13</sup>  
ovantī gradū<sup>14</sup>  
festīnēmus (praes. subi.)<sup>15</sup>

aeternus, -a, -um<sup>16</sup>  
parēns, parentis<sup>17</sup>  
splendor, -ōris m.<sup>18</sup>  
vēlātus, -a, -um<sup>19</sup>  
caro, carnis f.  
vidēbimus (fut. ind.)<sup>20</sup>  
infāns, ntis<sup>21</sup>  
pannus, ī m.<sup>22</sup>  
involūtus, -a, -um<sup>23</sup>

prō (praep. + abl)<sup>24</sup>  
egēnum, -a, -um : pauper<sup>25</sup>  
foenum, -ī, n.<sup>26</sup>  
cubāns, ntis<sup>27</sup>  
pius, -a, -um<sup>28</sup>  
foveāmus (praes. subi.)<sup>29</sup>  
amplexus, us m.<sup>30</sup> + <sup>31</sup>  
redamāret (imperf. subj.)<sup>32</sup> + <sup>33</sup>

<sup>1</sup> Alexandra Ramos Maldonado documentum rimāta est hoc ad usum discipulōrum Gādītānae Studiōrum Vniuersitātis atque aliquā in parte ēmendāuit addiditque minima nonnulla iuxtā inceptum acadēmicum c.n. *Proyecto de Innovación Educativa para el PDI: UCA-PIE22*, cuius particeps est magister Iosēphus A. Rojas Carreras.

---

ANNOTATIONES IMAGINIBVS ILLVSTRATAE NONNVLLIS:

<sup>1</sup> **adeste** = este hīc! Numerō singulārī: **ades** (tū), numerō plūrālī: **adeste** (vōs). est enim imperātīvus verbī **adsum, adesse**. Verbum contrārium est **absum, abesse** (= hīc nōn sum, esse).

<sup>2</sup> **fidēlis, fidēle**, adiectīvum tertiae dēclīnātiōnis. homō fidēlis est quī habet *fidem* et credit Deum esse. Vocābulum contrārium est **atheus, -a, -um**, i.e., quī credit Deum non esse.

<sup>33</sup> **triumphans, triumphantis**, participium verbī **triumphō, triumphāre**. *triumphantēs* sunt quī triumphant!

<sup>4</sup> **venīte**: est imperātīvus plūrālis verbī **veniō, venīre**.

<sup>5</sup> **Bethlehem** est nōmen indēclīnābile oppidī ubi Iēsus Chrīstus nātus est.

<sup>6</sup> **nātus-a-um**, adi. Parvus puer quī iacet in cūnīs.



<sup>7</sup> **rēx, rēgis**, m.



<sup>8</sup> **angelus, -ī**, m.



<sup>9</sup> **adōrēmus** est prīma persōna num. plūr. temporis praesentis modī subiunctīvī verbī quod est **adōrō, adōrāre**. Cum dīcimus: **adōrēmus**, imperāmus.



pāstor adōrāns

---

<sup>10</sup> **grex**, gregis, m.



**grex ovium** (=multae ovēs)

**grege relictō** (ā pāstōribus) = postquam pāstōrēs relinquunt gregem. = postquam pāstōrēs a grege discēdunt.

<sup>11</sup> **cūnae**, cūnārum, f. (plūrālī numerō tantum)



cūnae humilēs




familiae quae nōn habent magnam pecūniām, habent **cūnās humilēs**.

<sup>12</sup> **vocātī** (**vocātus**, -a, -um) est participium temporis praeteritī. (pāstōrēs vocātī sunt iī quōs anteā vocat aliquis.)

<sup>13</sup> **approperant** (approperō, approperāre). **approperāre** est **festināre**, hoc est, **rapidō modō agere**.

<sup>14</sup> **ovantī** (ovāns, ovantis, participium verbī **ovō**, **ovāre**, quod significat **triumphāre**. ovantī gradū, cāsū ablātīvō est = passū triumphantī. **gradus** est passus quem facimus cum ambulāmus.



<sup>15</sup> “**et nōs ovantī gradū festinēmus**” = nōs quoque eāmus rapidō atque triumphantī passū.

<sup>16</sup> **aeternus**, -a, - um, adi.: **aeternum** est id quod semper est.

<sup>17</sup> **parens, parentis**, hīc significat: **pater** sīve **genitor**. **parentēs** = māter et pater.

<sup>18</sup> **splendor, splendōris**, m. lūx; lūmen


<sup>19</sup> **vēlātus**, -a, -um, est participium temporis praeteritī vocis passīvae verbī quod est **vēlō**, **vēlāre** quod significat: **operīre, occultāre**.

<sup>20</sup> **vidēbimus** est prīma persōna numerī plūrālis temporis futūrī verbī quod est **videō**, **vidēre**.

<sup>21</sup> **īnfans**, īfantis, m., **īnfans** nātus quī iacet in cūnīs.



<sup>22</sup> **pannus, -ī**, m.



<sup>23</sup> **involūtus**, -a, -um, est participium temporis praeteritī vocis passīvae verbī quod est **involvere**:



sī māter pannīs involvit infantem, tunc īfans est pannīs **involūtus**.

"*Vidēbimus splendōrem aeternum Patris Aeternī, occultum sub carne: deum infantem, involūtum pannīs.*

<sup>24</sup> **prō** (+ abl.) : **ante. prō nobis** = antē nōs, nostrō locō. etiam est **auxiliō nostrō**.

<sup>25</sup> **egēnus, -a, -um**, adi.



quī pecūniām nōn habet, eget pecūniae. est enim **egēnus** pecūniae.

<sup>26</sup> **foenum, -ī**, n. (Vel potius **faenum** aut **fēnum**)



<sup>27</sup> **cubāns**, cubantis, part. temporis praesentis verbī quod est **cubāre**, quod significat **iacēre**.

---

<sup>28</sup> **pius**, -a, -um, adi. quī habet pietātem **pius** est. **pietās** vērō est amor in Deum, in parentēs, in proximōs...

<sup>29</sup> **foveāmus**, est prīma persōna num. plūr. temporis praesentis modī subiunctīvī verbī quod est **foveō, fovēre**, quod significat **dare calōrem**.

<sup>30</sup> **amplexus**, -ūs, m.



<sup>31</sup> **Prō nōbīs egēnum et foenō cubantem, piīs foveāmus amplexibus**” : *dēmus calōrem, amōrem et amplexūs eī quī sine pecūniā, et auxiliō nostrō, cubat in foenō ut in humili lectō.*

<sup>32</sup> **redamāret** est tertia persōna numerī singulāris temporis praeteritī modī subiunctīvī verbī quod est redamō, redamāre, quod significat **rūrsus amāre, iterum amāre**.

<sup>33</sup> “**Sic nōs amantem quis nōn redamāret?**” : *quis nōn potest respondēre amōre eī quī tantō amōre nōs amat?*

